PRIMARIA QVAEDAM DOCVMENTA
DE
ORIGINE TYPOGRAPHIAE

QVORVM ILLVSTRATORVM
PARTEM ALTERAM
PRAESIDE
CHRISTIANO GOTLIB. SCHVVARZIO
COM. PAL. CAES. ET PROF. PVBL.
A. D. XXI NOVEMBRIS A. S. R. CIƆIƆCCXXXX
AD DISQVIRENDVM
PROPONIT
IO. GVILIELMVS SCHAVBERT
NORIMBERGENSIS

ALTORFII
TYPIS IOHANNIS ADAMI HESSELII.

EXERCITATIO II
QVA
PRIMARIA QVAEDAM DOCVMENTA
DE
ORIGINE TYPOGRAPHIAE
ILLVSTRANTVR.

I.

INter primaria argumenta, quibus typographiae inuentio *Moguntinis* uindicari possit, maxime referimus indicem librorum, Moguntiae saeculo decimo quincto excusorum; quia ex hoc euidentissime patet, nullius alterius typographi extra Moguntiam librum adhuc posse reuera indicari, atque ostendi, qui antiquius certiusque impressionis, temporis, et loci, atque artificis, indicium, prae se ferat: deinde, quia hinc intelligimus, Moguntinos iam istis temporibus aperte, et coram uniuerso orbe literato, sibi uindicasse gloriam inuentionis typographiae; neque quemquam alium, istis ipsis temporibus, ausum esse, huic iustae gloriationi intercedere, aut contradicere; cum in tanta librorum iam tum excusorum multitudine facile contradicere alii, si praerogatiuae suae fuissent certi, et potuissent, et debuissent. Neque uero nunc omnes libros, qui aliquando GVTEMBERGIO, FAVSTO, et SCHOEFFERO, tribuuntur, recensebimus; adeoque scientes prudentesque praeterimus *Tabulam abecedariam*, et *Donatum*, quos libros e tabulis sculptis expressos, SALMVTHVS, AVTHAEVS, IMM. VVEBERVS, aliique, adscripsere istis primis typogra-

phis; neque prouocamus iam ad *Io. Ianuensis Catholicon,* quod similiter tabulis ligneis excusum commemorauit TRITHEMIVS: cum non constet, ubi huius generis libri supersint, neque ii ipsi, qui horum meminere, testati sint, se eos certis indiciis temporis et artificis insignitos uidisse, ut certum testimonium praebere possint: sed eos duntaxat enumerabimus libros, quos uel ego ipse, qui has exercitationes iam moderor, possideo, asteriscoque notabo; uel oculis meis apud alios uidi; uel ab aliis annotatos, eosque in certis bibliothecis adhuc asseruatos, deprehendi.

II.

INDEX LIBRORVM IN PRIMA MOGVNTIAE OFFICINA TYPOGRAPHICA EXCVSORVM.

I. BIBLIA LATINA, literis maioribus, quas *missales* uocant, impressa.

Horum Bibliorum exemplar, chartis impressum, uidi anno cIↃ IↃ C C XXVIII in *Monasterio Carthusiano,* extra moenia Moguntiae. Quamuis uero isti exemplari ultima quaedam folia temere essent abscissa, ut non cognosci posset, an in calce libri nomina sua tempusque impressionis, annotauerint typographi; in uetusto tamen Catalogo MS. istius Bibliothecae annotatum legi, Biblia ista Monasterio a IOHANNE GVTEMBERGIO, aliisque quibusdam, quorum nomina mihi exciderunt, fuisse donata. Ego credo, haec fuisse illa ipsa *Biblia,* quorum mentionem facit auctor *Chronici Coloniensis,* A. 1499 impressi, *fol.* CCCXII: *Dese hoichwvyrdige Kunst vurss is vonden allereyrst in Duytschlant tzo Menz am Ryne — —. Ind dat is geschiet by den iairen vns Heren, anno dñi MCCCCXL. ind van der zijt an bis mèn schreue L. vvart vndersoicht die Kunst ind vvat dair zo gehoirt. Ind den Jairen vns heren do*

do men schreyff MCCCC. *do vvas eyn gulden iair, do began men tzo drucken, ind vvas dat eyrste Boich dat men druckde die Bybel zo Latijn, ind vvart gedruckt mit eynre grouer Schrifft, as is die Schrifft dae men nu Myssebotcher mit druckt.* Et nescio, an etiam TRITHEMIVS, *P. II Annalium Hirsaugiensium, pag.* 422, ad haec Biblia respexerit, dum ad A. 1450, haec tradit: *His temporibus in ciuitate Moguntina Germaniae prope Rhenum, — inuenta et excogitata est ars illa mirabilis, et prius inaudita imprimendi, et characterizandi libros per Iohannem Guttenberger, ciuem Maguntinum. — — Et reuera, sicut ante triginta ferme annos ex ore Petri Opilionis de Gernsheim, ciuis Moguntini, — — audiui, magnam a primo inuentionis suae tempore haec ars impressoria habuit difficultatem. Impressuri namque Biblia, priusquam tertium complessent in opere quaternionem, plusquam* 4000 *florenorum exposuerunt,* Vnum hoc addo, typos horum Bibliorum typis *Psalterii* anno 1457 impressi aequales mihi uisos esse. Ceterum forte audiuimus, interim hoc exemplar Bibliorum e *Carthusia Moguntina* peruenisse in Britanniam.

* II. **BIBLIA LATINA**, duobus uoluminibus maiorum foliorum comprehensa; non quidem typis *missalibus*, pinguibus tamen, et eius magnitudinis, quae hodie ***Parangon - Antiqua*** appellatur a typographis, **impressa; sine expresso indicio, uel anni, uel loci, uel typographi.**

Inscriptiones et tituli omnes librorum, numerique capitum, modo minio, modo colore caeruleo, calamo duntaxat sunt additi. Singulae paginae in binas *columnas* diuiduntur. Nullas adhuc rubricas typis impressas usquam deprehendes. Ipsi characteres sunt *semi-Gothici;* et, quia satis sunt inaequales, ita, ut saepissime eadem litera, in eadem pagina, modo aliquantum maior,

ior, et longior, itemque craſſior, modo aliquantum minor, breuior, et tenuior, conſpiciatur, facile patet, iſtos typos non ex certa forma, uel *matrice*, fuiſſe fuſos, ſed ex ligno ſigillatim ſculptos; quamquam non raro unus typus etiam binas ternasque literas iunctim complectatur. Prorſus autem nobis perſuaſum habemus, haec Biblia Moguntiae ab ipſis primis typographiae inuentoribus, GVTEMBERGIO, et FAVSTO, fuiſſe excuſa; quia easdem chartas, chartariorumque inſignia, habent, quae in libris ex iſtorum officina proditis conſpiciuntur. Referunt autem haec inſignia modo caput *bubulum*, modo literam maiorem D, quam linea longa, eaque ſuperne crucigera, tranſit. Deinde, quoniam generatim etiam ductus typorum typis uetuſtis Moguntinorum ſatis reſpondent. Vt alii habeant, quod cum ſuo exemplari, ſi quod forte ſimile poſſideant, conferre poſſint, pauca loca ſpeciminis cauſſa annotabimus. Praemittitur operi *Epiſtola Hieronymi ad Paulinum*, eiusque *Prologus in Pentateuchum*. Altera columna primi folii his duobus uerſiculis finitur:

Nec hoc dico. ꝗ. ſit aliq̄d. in me ta
le. q̄d. vel poſſis a me audire vel

Capite VIII GENES. quod in ſeptimi folii pagina auerſa extat, *u.* 5, haec legimus: *Duodecimo em̄ meſe p'ma die menſis apparuerunt cacumina mociu.* Vbi uulgo legimus: *decimo enim menſe, prima die menſis* etc. ESAIAE XXXVII, 29, excuſum eſt: *Ponam ergo circulum in auribus tuis;* ubi aliae quaedam editiones pro *auribus*, habent, *auibus;* uulgo autem legimus, *naribus*. Alia, quae ad notitiam horum Bibliorum pertinent, iam in *Nouo Indice librorum ſub incunabula typographiae impreſſorum* expoſui.

III

III A. 1457. PSALTERIVM, cuius haec est subscriptio typis miniatis expressa:

Pñs spalmoꝝ codex. venustate capitaliū decoat9 Rubricationibusq̃ sufficienter distinctus Adinuetione artificosa impmendi ac caracterizandi absq̃ calami vlla exaracone sic effigiatus. Et ad eusebiam dei industrie est ɔsūmmatus. Per Iohēm Fust Ciue magūtinū. Et Petrū Schoiffer de Gernßheim Anno dñi Millesio. CCCC. LVII. *In viglia Assūpcois.*

Liber hic membranaceus forma folii, non quidem solum, neque integrum Psalterium Dauidis, sed alios etiam hymnos quosdam et preces, complectitur: neque Psalmi ordine uulgari sunt collocati, sed ut diebus dominicis et festis accommodati in coetu sacro cantari potuerint. Ita, u. g. *fol.* XIX, legitur *hymnus Zachariae*, ex *Luc.* I; et in sequenti folio, hymnus: *Iam lucis orto sidere Deum precemur supplices.* Et incipit quidem a dominicis diebus post festum Trinitatis. Totus Codex constat foliis CXXI; et folia quidem singula, usque ad CXVI, superne in media pagina anteriore numeris miniatis, iisque impressis, sunt notati, ita tamen, ut et in his negligentia quaedam typographi deprehendatur, dum numerum folii XXXX statim excipit numerus folii LI; atque numeri foliorum LXV, LXVI, et LXIX, prorsus sunt omissi, et quae sunt similia errata. Quod uero magis mirum est, libri capitales, et grandiores, non sunt penicillo, aut calamo, appicti, sed ligno excisi, et colore modo rubro, modo caeruleo, impressi. Duo tantum huius *Psalterii* exemplaria nobis innotuerunt: unum, in Augustissima Bibliotheca Vindo-

dobonensi, cuius iam mentionem fecit LAMBECIVS, *lib. II Commentar. pag.* 989; alterum in Bibliotheca scholastica Freibergensi, quod iam indicauit IO. MVLLERVS, in *Chronico Freibergensi, P. I, pag.* 129. In Freibergensi, plurimis Psalmis praeponuntur quatuor lineae, notaeque Systematis Musici, quibus modi cantionis designati sunt; cuiusmodi notae Musicae in exemplari Vindobonensi desiderantur, ita tamen, ut earum loco spatium uacuum sit relictum. Praeterea, in Vindobonensi exemplari, subscriptioni typographorum supra recensitae subiiciuntur consueta insignia FAVSTI et SCHOEFFERI; quae uero exemplari Freibergensi non sunt addita. Haec debeo partim Viro perreuerendo, CHRISTIANO GOTTHOLD VVILISCHIO, *Ecclesiastae Freibergensi*, in *Histor. Ecclesiast. Freiberg. pag.* 376; partim notitiae huius libri, ex Bibliotheca Vindobonensi mihi benigne suppeditatae.

IIII. A. 1459. PSALTERIVM, siue *Liber choralis*, similis superiori, cuius haec subscriptio:

Presens Psalmor. codex venustate capitalium decoratus rubricationibusq; sufficienter distinctus adinventione artificiosa imprimendi ac caracterizandi absque ulla calami exaratione sic effigiatus et ad laudem dei et honorem Sancti Iacobi est consummatus per Iohēm Fust Ciuem Moguntinum et Petrum Schoiffer de Gernsheim Clericum. Anno Domini Millesimo CCCC. LIX. XXX *die mens. Augusti.*

Hic liber, cuius, quantum nobis constat, nemo adhuc in Indicibus librorum sub incunabula typographiae excusorum fecit mentionem, extat in Coenobio *R. R. Patrum Charthusianorum*, extra moenia Ciuitatis Moguntinensis sito, estque membranis impressus.

V.

* V. A. 1459. GVIL. DVRANDI RATIONALE OFFICIORVM DIVINORVM. Calci huius libri haec uerba colore rubro impressa leguntur:

Presens raconalis d'inoꝝ codex officoꝝ venustate capitaliū decoratus. rubricationibusq̧ distinctus. Artificiosa adinuētione imprimendi ac caracterizandi: absq̧ calami exaratiō sic effigiatus. Et ad eusebiam dei industrie est consumatus Per Iohannē Fust ciuē Magūtinuȝ. Et petrū Gernssheym. Clericum diocess eiusdem. Anno dn̄i Millesimo quadringentesimo quiquagesimo nono. Sex. die Octobris.

Neque uero his uerbis, FAVSTI et SCHOEFFERI insignia subiecta conspiciuntur. At inaniter hariolatus est IO. MENTELIVS, in *Paraenesi*, *de uera typographiae origine*, *pag.* 66, subscriptionem hanc esse suppositam, ac, si non manu exaratam, mendo tamen typographico inquinatam; cum non MCCCCLIX; sed MCCCCLXI, excudi debuisset. Verum, subscriptio haec omnino non calamo, notisque numeralibus annorum, est adscripta; sed typis, et integris uocibus, prout a nobis proditur, excusa; imo totum hoc exemplar est foliis CLXII maioribus, iisque membranaceis, impressum, ita quidem, ut in hoc aeque libro, ac in *Bibliis* chartaceis, quae secundo loco commemorauimus, et in *Psalterio* membranaceo, A. 1457 excuso, quinae plerumque plagulae in *quinterniones* sint consertae. Non enim in *Durando*, nisi duos *quaterniones*, et unum *ternionem*, obseruauimus. Hinc uero intelligas, quanta typorum copia iam illo tempore abundarit prima Moguntinorum typographia; cum etiam *quinternionibus* imprimendis suffecerint typi. Quae res indicio

 est,

eſt, ante huiusmodi tam ampla opera plures forte alios libros typis fuiſſe excuſos, quamuis certum annum impreſſionis prae ſe non ferant. Neque enim credibile eſt, artem hanc a tam grandibus operibus primordia cepiſſe. Ceterum, characteres typorum, quibus impreſſum eſt *Durandi* uolumen, ſunt fere minuti, et *ſemi-Gothici*; quos ratione quantitatis compares cum iis, qui a typographis hodie uocantur *kleine Mittel-antiqua.* Sicut uero hic liber in ſeptem partes diſtinctus eſt; ita ſingularum partium initium fulget grandi litera, partim rubri, partim caerulei, coloris, eaque uariis ductibus et *uiticulis* exornata, et, quod mireris, iam impreſſa, neque penicillo, aut calamo, picta; praeter partem quartam et ſextam, quibus quidem etiam maiores literae, ſed eae ſaltem calamo, uel penicillo, ſunt adpictae: niſi forte ſuſpiceris, iſtas grandiores literas, quae forma prorſus eadem etiam in Norimbergenſi et Ienenſi exemplaribus Durandi conſpiciuntur, aliquot poſt annos primae impreſſionis, non nullis exemplaribus acceſſiſſe; cum in Lipſienſi et Wolfenbuttelenſi exemplaribus omnes iſtae literae maiores duntaxat pictae, et auro, aliisque coloribus, inductae appareant. Imo, magis mirum eſt, cum FAVSTVS et SCHOEFFERVS, iam A. 1457 et 1459, in *Pſalteriis*, et A. 1459, in quibusdam *Durandi* exemplaribus, grandiores eiusmodi typos, ſine dubio e ligno ſculptos, (uti adhuc hodie aliquando fieri ſolet,) adhibuerint; cur non poſthaec etiam, in aliis libris excudendis, iisdem typis ſint uſi, ſed ſpatium duntaxat reliquerint, ut penicillo, calamoue, ab *illuminatoribus* adpingerentur. Omnia autem, quae hucusque commemorauimus, *Durandi* exemplaria, A. 1459 impreſſa, ſunt membranacea; at exemplar, quod Moguntiae in *Bibliotheca cathedrali* aſſer-

ſeruatur, membranis et chartis mixtim eſt impreſſum: id quod uir illuſtris, Dom. VAL. FERD. DE GVDENIS, in *Recenſu Codicum tam MSS. quam impreſſorum, Moguntiae in Bibliotheca cathedrali latitantium, Syllogae I uariorum Diplomatorium adiecto, pag.* 401, annotauit. Totius huius uoluminis paginae nullis *numeris*, nullisque *cuſtodibus*, neque *ſignaturis*, uti appellantur a typographis, ſunt inſignitae. Auctor huius libri in Praefatione dicitur *Guilielmus, ſanctae Minatenſis Eccleſiae Epiſcopus;* de quo plura attulit *Ferd. Vghellus, T. II Italiae ſacrae, pag.* 881; ubi docet, eum A. 1296 Romae obiiſſe. Ipſum uero hoc opus Durandi, quod *Rationale officiorum diuinorum* dicitur, eſt antiquum Liturgicae theologiae monimentum, in quo auctor rationes et ſignificationes rituum eccleſiaſticorum ſaeculi XIII, pro captu illius ſaeculi, expoſuit.

VI. A. 1460. CONSTITVTIONES CLEMENTINAE. *fol.* In fine haec extat ſubſcriptio miniatis typis impreſſa:

Preſens Clementis Pape quīti ꝯſtitutionum Codex una cum apparatu dn̄i Ioh'. An. Suis rubricacōnibꝰ ſufficienter diſtinctus. Artificioſa adinuetiōn imprimendi. ac caracterizandi. absq̧ ulla calami exaratiōn ſic effigiatus. et ad euſebiā dei induſtrie eſt̄ ꝯſummatus. Per Iohanneʒ Fuſt civem Moguntin̄. Et Petrum Schoiffher de Gernſheim. Clericum dioceſs eiusdem. Anno domī. M. CCCC. *Sexageſimo.* XXV *die Menſis Iunii.*

Quibus uerbis FAVSTI et SCHOEFFERI inſignia haud fuere adiecta. Exemplar harum Conſtitutionum Clemen-

mentinarum membranis impressum extat in Bibliotheca publica illustris Reipubl. Norimbergensis.

VII. A. 1460. IO. BALDI DE IANVA CATHOLICON, membranis forma maxima typis impressum, addita in fine hac subscriptione:

Altissimi presidio cuius nutu infantium lingue fiunt diserte, quique numero sepe parvulis revelat quod sapientibus celat. hic Liber egregius Catholicon Dominice Incarnationis Annis M. CCCC. LX. *alma in urbe Moguntina nacionis inclyte Germanice. quam dei Clementia tam alto ingenii lumine donoque gratuito, ceteris terrarum nacionibus preferre illustrareque dignatus est. non calami styli aut penne suffragio. sed mira patronarum formarumq; concordia proportione ac modulo impressus atque confectus est.*

Hinc tibi sancte Pater nato cum flamine sacro
Laus et honor Domino trino tribuantur et uno.
Ecclesie laude libro hoc Catholice plaude,
Qui laudare piam semper non linque Mariam.
DEO gratias.

Exemplar membranaceum huius *Catholici*, siue *Lexici Etymologici*, extitit in *Bibliotheca Vffenbachiana*; at chartaceum uidi Moguntiae in *Bibliotheca cathedrali*. Locus impressionis, nempe Moguntia, designatur, eique laus inuentae typographiae primum diserte uindicatur; sed nomina et insignia typographorum dissimulantur. Id certum est, tunc, post dissidium inter GVTEMBERGIVM et FAVSTVM exortum, duas officinas typographicas extitisse Moguntiae; alteram GVTEMBERGII; alteram FAVSTI et SCHOEFFERI. Itaque dubium est, ad utram referas hunc

librum.

librum. Vir doctiſſimus, PROSPER MARCHANDVS, *Hiſtoire de l'origine et des premiers progres de l'imprimerie*, *pag.* 37, tradit, ſigna chartariorum in chartis huius libri eadem eſſe, quae obſeruentur in chartis librorum a FAVSTO et SCHOEFFERO excuſorum. At non uideo, cur GVTEMBERGIVS non potuerit iisdem chartis uti, quibus in eodem loco uſi ſunt FAVSTVS et SCOEFFERVS? Typi uero, quantum ego in exemplari *Bibliothecae Cathedralis* Moguntiae obſeruare potui, a Fauſtinis et Schoefferianis, aliquantum diuerſi mihi ſunt uiſi. Interim nobis perſuaſum habemus, hunc librum ex officina IOH. GVTEMBERGII prodiiſſe. Neque opinioni noſtrae obſtare uidetur, quod poſthaec FAVSTVS et SCHOEFFERVS, in ſubſcriptionibus librorum a ſe excuſorum, fere iisdem loquendi formulis uſi ſint. Ita ſcilicet ſaepe ſequentes typographi imitati ſunt illos primos. Nonne et HENRICVS RVMELIVS, cum A. 1470, in officina ſua Norimbergae excudiſſet FRANCISCI DE RETZA *Comeſtorium*, ex hac ipſa GVTEMBERGII ſubſcriptione quasdam formulas repetiit? —— *Nurenberge. anno dn̄i* M. CCCC. LXX. *patronarum formarumque concordia et proportione impreſſus.* Tacemus multo plura huius generis exempla.

VIII A. 1462. DIETHERI, Electoris et Archiepiſcopi Moguntini, MANIFESTVM, ſiue SCRIPTVM APOLOGETICVM *aduerſus Adolphum*, *Comitem Naſſouium*, *aliosque aduerſarios*; Anno M. CCCC. LXII. die Martis poſt Dominicam *Laetare* datum, *fol.*

Scriptum hoc, ratione quidem argumenti, dignum eſt, quod commemoretur; uerum ad hiſtoriam typographiae parum facit; neque enim ibi uel tempus, uel locus impreſſionis, uel ipſe typographus, annotatur: niſi

quod CHRISTOPHORVS LEHMANNVS, in *Chronico Spirensi, Libr.* VII, *cap.* CV, testatus sit, id ipsum scriptum Moguntiae a primis typographis fuisse typis impressum. Nihil dubito, quin Moguntiae sit excusum; cum uero illo tempore duae officinae typographicae fuerint Moguntiae, incertum est, utri id tribuas. Est autem exiguum opusculum, quod uix numerum duarum plagularum, siue quatuor foliorum excedit; cuius exemplar chartaceum in Bibliotheca D. D. MIEGH, primarii quondam Professoris theologiae in Academia Heidelbergensi, uidi.

VIIII. A. 1462. BIBLIA LATINA, quae duabus Partibus constant, in *Fol.*

Vltima uerba folii ultimi Partis I:

Explicit Psalterium.

Anno M. (interiectis insignibus Fausti et Schoefferi,) CCCC LXII,

Subscriptio Partis secundae in exemplari Francofurtano haec est:

Pns hoc opusculū, [*sic uocantur duo uolumina folio magno*] *Artificiosa adinvētione impmendi seu caracterizandi. absque calami exaracon. in ciuitate Moguntn̄. sic effigiatū et ad eusebiam dei industrie per Iohez Fust ciuē et Petrū Schoiffher de gernssheym clericū diotess eiusdem est consumatuz. Anno dn̄i.* M. CCCC. LXII. *In vigilia assumcōis virg. marie.*

Quibus uerbis denuo subiiciuntur insignia FAVSTI et SCHOEFFERI. Aliquantum diuersam subscriptionem horum Bibliorum affert MAITTAIRE, in noua editione *Annalium typograph, pag.* 272:

Pre-

Presens hoc opus finitum ac completum, et ad eusebiam dei industrie in ciuitate Moguntina per Iohannem Fust, ciuem, et Petrum Schoeffer de Gernsheim, Clericum diocesis eiusdem, est consummatum anno Incarnationis Dominice M. CCCC. LXII. *in vigilia Assumptionis gloriose Virginis Marie.*

Exemplar membranaceum horum Bibliorum uidi in Bibliotheca publica illustris Reipublicae Francofurtanae ad Moenum; exemplar uero chartaceum deprehendi VVirceburgi apud uirum doctissimum humanissimumque, ac plur. Reuer. Dom. IOH. SEYFRIDVM, Patrem Soc. Iesu, et Professorem Herbipolens. Ex cuius benignissimo indicio cognoui, chartas horum Bibliorum tria diuersa insignia chartariorum referre; et quidem frequentissime occurrere *caput bubulum*, ex cuius fronte surgit lineola, superne decussata cruce signata; in non nullis plagulis conspici *integrum bouem*; et in quibusdam *claues decussatas*,

A. 1462. BIBLIA GERMANICA. *folio*; in quorum calce haec breuis legitur inscriptio:

Iohan Fust Moguntinus Ciuis A. M. CCCC. LXII. *effecit.*

Horum Bibliorum editionem, quae hucusque omnibus eruditis ignota fuit, in notitiam publicam primus pertulit uir doctus, et de bonis literis meritissimus, IOH. ALBERTVS BENGELIVS, in *appartu critico*, quem *Nouo Testamento Graeco*, singulari industria Tubingae A. 1734 edito, adiecit; ubi, *pag.* 641, indicauit, horum exemplar in *Bibliotheca Consistorii Wirtembergensis* asseruari. Mirum est, cur solius IOHANNIS FAVSTI hic fiat mentio; quod uero ideo contigisse suspicor, quia tunc mortuus fuerit PETRVS

SCHOEF-

SCHOEFFER *de Gernsheim*, qui in libris A. 1459, 1460, et 1462, excusis, et paullo ante a nobis recensitis, appellatur *Clericus Dioecefeos M guntinensis.* Magis mirum est, tanti operis non nisi unicum exemplar adhuc innotuisse: quis enim non putet, ea Biblia tunc in multo plura exempla typis fuisse transscripta? Sed coniicimus, superesse omnino plura; quae uero subscriptione Typographi, et anni, destituantur; nunc autem ex collatione indiciorum quorundam, quae suppeditauit laudatus BENGELIVS, cum hac editione facilius conferri poterunt, si quibus forte copia plurium huiusmodi Bibliorum antiquitus sine designatione nominis typographi et temporis excusorum suppetat. Sic uero BENGELIVS, *pag.* 641, indicat, *Actor.* XXXVIII, 31, in his Bibliis legi: *Wañ dier ist Ihesus cristus der Sun gotz durch den alle die Welt anfecht zevverden geurteylt.* etc.

XI. A. 1465. LIBER VI DECRETALIVM, in *fol.* Subscriptio:

> *Presens huius sexti decretalium preclarum opus. non atramento plumali canna neque aerea. sed artificiosa quadam adinuentione imprimendi seu caracterizandi sic effigiatum. et ad eusebiã dei industrie est ɔsummatum per Iohannem Fust Ciuem Moguntinũ et Petrum Schoiffer de Gernsheym. anno domini* M. CCCC. *sexagesimo quĩto. die vero decima septima mensis decembris.*

Haec subscriptio extat in exemplari membranaceo Bibliothecae publicae illustris Reipublicae Norimbergensis, in quo nec insignia FAVSTI et SCHOEFFERI addita sunt. At paullo aliam subscriptionem ex aliis exemplaribus afferunt, non solum MAITTAIRE, in noua editione *Annal.*

Annal. Typograph. pag. 273, et MARCHANDVS, *pag.* 41; sed et ANDREAS MOLLER, in *Chronico Freibergensi, pag.* 130, ex exemplari, quod in *Freibergensi Bibliotheca* asseruatur: ut intelligas, huiusmodi subscriptiones quasi postliminio additas, et aliquando uariatas, aliquando prorsus omissas, fuisse. Sed, en, istam aliam subscriptionem:

Presens huius Sexti Decretalium preclarum opus almà in urbe Maguntina inclyte nacionis germanice. quam dei clementia tam alti ingenii lumine donoq gratuito ceteris terrarum nacionibus preferre illūstrareq dignatus est, non atramento, plumali canna neque aerea, sed artificiosa quadam adinventione imprimendi seu caracterizandi sic effigiatum et ad eusebiam dei industrie est consūmatum per Iohannem Fust ciuem et Petrum Schoiffher de Gernsheym. Anno dñi M. CCCC. LXV. *die vero* XVII *mensis Decembris.*

In hac subscriptione laus inuentae typographiae iterum diserte uindicatur Ciuitati Moguntinensi; quamquam aeque, ac in editione *Catholici*, de A. 1460, admittitur quidam soloecismus, dum, *dei clementia*, et, *dignatus est*, coniunguntur. Quoniam uero PETRVS SCHOEFFER *de Gernsheim* non amplius appellatur *Clericus dioecefeos Moguntinensis*, iam uidetur alius PETRVS SCHOEFFER, forte agnatus et consanguineus, aut nepos ex fratre prioris PETRI *de Gernsheim*, clerici dioecefeos Moguntinae, designari, qui in sequentibus duobus libris dicitur *puer* FAVSTI, et cui postea FAVSTVS filiam suam, *Christinam*, nuptum collocasse traditur.

XII. A. 1465. OFFICIA ET PARADOXA CICERONIS, forma quarti ordinis. Fini additur haec subscriptio:

C *Pre-*

Presens Marci tulii clarissimū opus Iohannes Fust Moguntinus Ciuis. nō atramēto. plumali cana neque aerea sed arte quadam perpulcra. Petri manu pueri mei feliciter effeci finitum. Anno M. CCCC. LXV.

Haec editio membranacea fuit in *Bibliotheca Hohendorffiana, pag.* 206. Et PETRVS SCRIVERIVS, in *Laurea Laurentii Costeri, pag.* 45, testatus est, se exemplar membranaceum possidere; at duo uidisse chartae impressa, alterum Bibliothecae Lugdunensis; alterum Francisci Raphelengii. Exemplar huius editionis asseruatur quoque in Bibliotheca Regia, quae Dresdae est.

* XIII. A. 1466. OFFICIA ET PARADOXA CICERONIS, forma quarti ordinis.

Prooemio praemittitur haec rubrica, typis expressa, quae et in editione A. 1465 legi dicitur:

Marci Tulii Ciceronis Arpinatis. ↄsulisq̧ romani. ac oratorum maximi. Ad M. Tuliū Ciceronem filiū suū. Officioꝝ liber incipit.
Prefatio generalis in libros omnes.

Singulis capitibus, siue nouis argumentis, praemittuntur etiam breuia summaria, similiter typis miniatis excusa; sed ipsa Capita nullis insigniuntur numeris. *Capitales literae* calamo sunt pictae. Fini librorum de Officiis adiecti sunt sex uersus, satis rudes:

Tulius hesperios cupiēs ↄponere mores
Edidit hos libros appellans officiorum.
Quo solo ferus extinctus est furor cateline.
Consilio superum custos directus ad vrbem
Lux orbis prieq̧ salus. mens tota senatus.
Hic plus sole micat cruciatus propter honestum.

Pro

Pro ultima uoce horum uersiculorum MAITTAIRE edidit, *honorem*. Sequuntur *Paradoxa*, quorum sententiae Graecae, Graecis etiam, sed minus accuratis typis, sine Latina quidem interpretatione, singulis capitibus praeponuntur. v. g. pro tertio Paradoxo: *ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα καὶ τὰ κατορθώματα*, excusum est: *οτίςαλα ακαρτηακατα καὶ τατωτωκα.* Finitis Paradoxis, exhibentur *Elogia Ciceronis*, sub hoc titulo: *Versus XII. sapientũ scilicet. Baxilii. Asmenii. Lionani. Euforbii. Iuliani. Hilasii. Palladii. Asclemadis. Eustenii. Pompeliani. Maximini. et Vitalis. positi in Epitaphio . Marci. Tulii Ciceronis.* His denique subiicitur haec subscriptio typographorum, miniatis typis impressa; cui uero nulla adduntur insignia typographorum:

Presens Marci tulii clarissimũ opus. Iohannes Fust Mogũtinus ciuis. nõ atramẽto. plumali cana neque aerea. Sed arte quadam perpulcra. manu Petri de Gernshem pueri mei feliciter effeci finitum. Anno M. CCCC. LXVI. *quarta die mensis februarii. etc.*

Vbi attendendum est, (quod nescio, an alii hucusque obseruarint,) scilicet his uerbis sine dubio alium indicari PETRVM DE GERNSHEM, qui *puer* FAVSTI dicitur; alium eiusdem nominis designatum esse in libris quibusdam antea recensitis, ubi ille dicitur, *clericus dioeceseos Moguntinae*: quamuis uterque fuerit ex SCHOEFFERORVM familia. Tandem, in postremo folio, quasi spatii uacui complendi caussa, *Ode* 7 *libri* IIII Horatii excusa est, hoc titulo praefixo: *Manlio torquato. Flaccus. de vite humane breuitate. per comparationem temporis.* Meum exemplar constat membranis in undecim quaterniones quarti ordinis, seu folii minoris, complicatis, ita, ut singuli quater-

terniones octo folia contineant. VFFENBACHIVS uero, in Cl. SCHELHORNII *Amoenitat. liter.* T. VIIII, pag. 979, refert, Harlemi etiam chartaceum exemplar huius editionis officiorum Ciceronis asseruari. Vtrumque exemplar, anni nempe 1465, et 1466, diligentissime contulit laudatissimus MAITTAIRE; nec inuenit quidquam, quo alterum ab altero differat, praeter subscriptionem. Vnde et non nulli suspicati sunt, prorsus eandem esse editionem, cui uero diuersa subiecta fuerit subscriptio. Idem ex Amico intellexi, qui meum exemplar cum *Krafftiano* contulit, animaduertitque, in utroque exemplari paginam paginae, uersum uersui, uocem uoci, respondere; nisi quod non nulla, eaque perpauca, uocabula, compendiis scribendi differentia, deprehendantur. Ita et in meo exemplari, *Libr. II de offic. cap.* 21, *fol.* 48, *b*, lego: *Celii graeci frumentaria magna largitio;* ubi *Carolus Langius*, teste Graeuio, quondam in editione A. 1465, legit: *C. Gracchi frumentaria magna largitio.* Errarunt uero, PETRVS RAMVS, *Scholar. mathemat. Libr. II, prooem.* et ERASMVS SCHMIDIVS, in *Comment. ad N. T. pag.* 5, qui opinati sunt, officia ista A. 1465 et 1466, omnium primo typis impressa, adeoque primum inuentae typographiae specimen fuisse. Ceterum, ad nostrum quoque exemplar quadrant ea, quae obseruauit Cl. MAITTAIRE, in noua editione *Annal. typograph. pag.* 275: *Primae librorum et capitum literae non sunt impressae, sed illuminatae. Typi sunt figura exiliore, ductu Gothico. Frequentissimae occurrunt abbreuiationes, seu compendia scribendi, qualia habentur in manu scriptis. Literarum binarum, aut plurium, is crebro fit nexus, ut unum uideatur elementum. Literae,* u, v, i, j, *indiscriminatim pro uocalibus, aut consonis, usurpantur. Litera* ſ *longa saepe in fine uocis ponitur, et ante punctum. Parenthe-*

thefeos nota rarior. Vix ulla diftinctionis nota, praeter punctum. Nullus æ aut œ, diphthongorum, ufus. Litera i *aliquando nuda; aliquando lineola erectiore, aut puncto, superne notata eft.* etc.

* XIIII. AVGVSTINI DE VERAE VITAE COGNITIONE LIBELLVS; qui conftat xxxIIII foliis chartaceis quartae formae.

Prima primi folii pagina eft uacua; altera pagina incipit a fex uerficulis, quorum hoc eft initium:

Auguftine pater. aquilino more iohannis
Ingenij velis petis alta recondita celis. etc.

Tum fequitur Index Capitum, eorumque argumentorum. Pro maioribus, fiue capitalibus literis appingendis, uacuum fpatium eft relictum; quae uero huic exemplari nondum funt appictae. Claufula huius libelli haec eft:

Auguftini de vere vite ɜgnicoē libellus explic.

His uerbis mox fubiiciuntur confueta FAVSTI et SHOEFFERI infignia, minio expreffa; alioquin nec annus impreffionis, nec nomina typographorum, ibi defignantur. Chartarii infigne eft *uua*; cuiusmodi charta etiam ufus eft SCHOEFFERVS, in Auguftino de ciuitate dei, A. 1473 edito. Typi iidem fuere, quibus *Durandi rationale*, et *Ciceronis officia*, fuere impreffa; adeoque hic libellus iftis operibus aetate, fi non praeferendus, certe aequalis eft habendus. Ceterum, editores Benedictini *Operum Auguftini*, quae Antvverpiae A. 1700 prodiere, *Tomo* VI, *pag.* 647, non obfcuris argumentis ufi, oftenderunt, hoc ipfum opufculum *de cognitione uerae uitae* potius *Honorio Auguftodunenfi*, quam *Aurelio Auguftino*, *Hipponenfi Epifcopo*, tribuendum effe.

XV. A. 1467. THOMAE AQVINATIS SECVNDA SECVNDAE. *Fol.* Subſcriptio haec eſt:

Hoc opus preclarum ſecunda ſecunde B. Thome de Aquino, alma in urbe Moguntina inclite Nacionis Germanice. quam dei clementia tam alti ingenii lumine donoque gratuito ceteris terrarum Nacionibus preferre illuſtrareque dignatus eſt. artificioſa quadam adinuentione imprimendi ſeu caracterizandi absque ulla calami exaracione ſic effigiatum et ad euſebiam dei induſtrie eſt conſummatum, per Petrum Schoiffher de Gernsheim, anno dn̄i M CCCC LXVII. *die* VI *menſis Marcii.*

Huius operis exemplar membranaceum formae maximae extat Moguntiae in *Bibliotheca cathedrali*, referente uiro perilluſtri, Dom. de GVDENVS, in *Sylloge* I *uariorum diplomaticorum monumentorumque ueterum, pag.* 402. Denuo aperte gloria inuentae typographiae uindicatur Moguntiae; ſed et ſoloecifmus, ſupra notatus, repetitur: *clementia — — dignatus eſt.* Quia uero in hac ſubſcriptione non amplius mentio eſt facta IO. FAVSTI; credibile eſt, eum inter III Febr. A. 1466, et VI Martii, A. 1467, mortuum eſſe.

* XVI. A. 1467. CONSTITVTIONES CLEMENTINAE, *folio magno.* Subſcriptio:

Preſens clementis quīti opus ↄſtituconū clariſſimū. Alma in vrbe maguntina. inclite nacōnis germanice. quā dei clementia. tam alti ingenij lumine. donoq̧ gratuito. ceteris terrarum nacōnibꝰ preferre. illuſtrareq̧ dignatus eſt. (ſic.) *Artificioſa quadam adinventione imprimendi ſeu caracterizandi absq̧ ulla cala-*

calami exaratone sic effigiatum. et ad eusebiam dei, industrie e ɔsummatum per Petrum Schoiffher de gernßhem. Anno Dnice incarnaconis. M. CCCC. LXVII. *octaua die mensis octobris.*

Quibus uerbis insignia typographorum non sunt addita. At sequuntur adhuc in duabus plagulis, *Regula Sti. Francisci, et Constitutio Iohannis Papae XXII, data Auenione, XIII Kal. Decembris, Pontificatus eius anno secundo.* Exemplar hoc est chartaceum, in cuius singulis plagulis occurrit signum chartularii, scilicet maior litera *D*, e qua prodit lineola, superne duplici cruce signata; unica plagula refert signum *capitis bubuli.*

*XVII. A. 1468. IVSTINIANI INSTITVTIONES IVRIS CVM GLOSSA, membranis impressae. *Folio maiore.*

Haec princeps est Institutionum iuris editio; quae indicio est, iam tum in Germania Ius Iustinianaeum suos habuisse cultores. Fallitur adeo Dom. *de Ludevvig*, dum, in *uita Iustiniani M. pag.* 24, editionem Institutionum Romanam A. 1476, pro uetustissima et prima habet, hoc addito ratiocinio: *Nam Germania eo tempore, quo nondum recepta erant in foro iura Romana, licet in scholis Germaniae illa docerentur, noluit ea prelo committere.* Vide nostra χίλια φιλολογικὰ *ad Prooemium Institutionum iuris, pag.* 11; eo autem tempore, cum ista χίλια euulgarem, nondum ipse huius editionis exemplar possedi. Prima uero huius exemplaris pagina non tantum litera maiore, eaque picta, ornatur; sed titulis etiam imperatoriis praemittitur Imperatoris imago. In calce libri haec typographi annotatio miniatis typis expressa est;

Pns

Pñs institutinonū pclarū opus Alma in vrbe magūtina inclite nacōnis germanice. quā dei clemētia tam alti ingenii lumine. donoq̃ gratuito. ceteris terrarꝝ nationibꝰ pferre illustrareq̃ dig̃tus est. nō atramēto ɔmi (communi) nō plumali cana. neque erea. sed artificosa quadā adinuēcōne imprimēdi seu caracterizādi sic effigiatū. et ad eusebiā dei. industrie ē ɔsummatū. per Petrum schoiffer de Gernsheym. Anno dñice incarnationis. Millesimo CCCC. LXVIII. vicesima quarta die mensis Maii.

His uerbis miniatis denique subiiciuntur uersus atro colore excusi, qui, quamuis admodum rudes sint, non parum tamen faciunt ad historiam typographiae illustrandam.

Scema tab'nacl'i moises salomoq̃ tēpli
Haut pter ingenuos perficiūt dedalos
Sic decus eccie maius maior salomoe
Iam renouās renouat beselebel et hyrā
Hos dedit eximios sculpēdi in arte mgros
Cui placz en mactos arte sagi'e viros
Quos genuit ambos vrbs magutina ioh'es
Librorꝝ insignes prothocaragmaticos
Cū quibꝰ optatū petrus venit ad poliandrū
Cursu posterior introeūdo prior
Quippe quibꝰ pstat sculpēdi lege sagitus
A solo dante lumē et ingeniū

Natio

Natio queꝫ ſuũm pote'it reperire caragma
Secum nempe ſtilo p̃minet om̃igeno
Crede' difficile eſt. doctores quam p̃cioſa
Pendat mercede' ſcripta recorrige'
Orthoſinthetic ū cuius ſintagma per orbē
Fulget franciſcū p̃ſto magr̄m hꝫ
Me qꝫ deuinxit illi nō uile tragema
Publica ſed comoda. et terrigenum columen
Sic vtinam exſobe' falſi moliātur ydeā
Qui ſintagma regūt et perthocaragma legūt
Aureola indubie p̃miaret eos logothece
Quippe libris cathedras mille ſb'erudiūt.

Integros hos uerſus, in *Exercitatione* III, obſeruationibus non nullis illuſtrare conabimur. His uerſibus, in exemplari, quod eſt in *egregia Bibliotheca Rinkiana*, ſubiiciuntur inſignia FAVSTI et SCHOEFFERI, minio expreſſa; quae uero in noſtro exemplari ſunt omiſſa; niſi, quod ductibus inferioribus *Capitalis literae*, in prima pagina conſpicuae, nihilominus penicillo, uel calamo, inſerta ſunt inſignia FAVSTI, quibus uero mediis *rubea roſa* eſt indita. Ab initio uoluminis, in folio quodam membranaceo, depicta eſt imago primi poſſeſſoris, *Michaelis a Lichtenſtein, Praepoſiti Bambergenſis*, et quidem geniculantis ad pedes *Virginis Mariae*, a cuius dextra, ſupra ſcripto nomine, ſtat *Sanctus Iheronymus*; a ſiniſtra, *Sanctus Egydius*.

* XVIII. A. 1469. LIBER QVARTI SCRIPTI S. THOMAE DE AQVINO. Codex chartaceus, *Folio maiore*,

 Sub-

Subſcriptio literis miniatis expreſſa:

Preclarū hoc opus quarti ſcripti ſcī thome de aquino. Alma in vrbe mogūtina inclite nacōis germāice. quā dei clemētia tā alti ingenij lumine. donoq̧ gratuito. ceteris terraꝝ nacōib9 pferre. illuſtrae'q̧ dignata ē. Artificioſa quadā adinuencōne imprimendi ſeu caracterizandi absq̧ ulla calami exaracōne ſic effigiatum. et ad euſebiā dei induſtrie eſt cōſumatū. per petrū Schoiffher de gernßhem. Anno dn̄i milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo nono. Tredecima die Iunij. Sit laus Deo.

His uerbis ſubiiciuntur FAVSTI et SCHOEFFERI inſignia minio expreſſa. Totus liber excuſus eſt typis minoribus, qualibus A. 1459 *Durandi rationale*, et A. 1466 *Officia Ciceronis*, ſunt excuſa. Poſtquam uero hucusque in aliquot librorum ſubſcriptione admiſſus fuerat ſoloeciſmus: *dei clementia — — dignatus eſt*; cum nunc tandem in huius libri ſubſcriptione emendatum inuenimus.

XVIIII. A. 1470. D. HIERONYMI EPISTOLAE; duo uolumina forma et mole maxima. Praemittitur ſub hoc titulo: INTRODVCTORIVM IN EPISTOLARE B. IERONIMI *impreſſionis Maguntine, facte per uirum famatum in hac arte, Petrum Schoiffer de Gernſheym.*

In fine operis haec leguntur, rubrica expreſſa:

Igitur Sophronii Euſebii Ieronimi, Orthodoxi Eccleſie Epiſcopi propugnatoris clariſſimi liber Ieronimianus, aut, ſi mauis, quod et ipſe uelim, liber epiſtolaris, explicit: ut dignitas nominis Ieronimiani egregio uiro Iohanni Andree permaneat. Qui hoc ipſum, zelo deuotionis erga uirum ſanctum affectus, tempore priſco uulgauit in orbem.

Eſt

Eſt autem preſens Opus arte impreſſoria feliciter conſummatum per Petrum Schoiffer de Gernſshem in ciuitate nobili Maguntina. cuius nobilitati uir beatus Ieronimus ſcribens ad Ageruntiam de Monogamia teſtimonium perhibet ſempiternum. multis milibus incolarum eiusdem in Eccleſia pro fide catholica ſanguine proprio laureatis.

Huic laudatori reddit Maguntia vicem.
Tot ſua ſcripta parans uſibus Eccleſie.

Anno Domini M CCCC LXX. *die* VII *Menſis Septembris, que fuit vigilia natiuitatis Marie. Da gloriam DEO.*

Referente MAITTAIRIO, *Annal. typogr.* T. I, *pag.* 285, habetur huius operis exemplar in S. VICTOR. Bibliotheca PARIS. in pergameno; ubi ſuperioribus uerbis excuſis ſequentia manu ſcripta adiiciuntur:

Extrait du Necrologue de l'Abbaye de St. Victor de Paris. 1471. 3 *Kal. Novembr.*

Anniuerſarium honorabilium uirorum Petri Schoeffer, et Conradi Henlif, ac Iohannis Fuſt, ciuium de Moguntia, impreſſorum librorum, nec non uxorum, filiorum, parentum, amicorum, et benefactorum eorundem. Qui Petrus et Conradus dederunt nobis Epiſtolas beati Hieronymi impreſſas in pergameno. excepta tamen ſumma duodecim ſcutorum auri, quam prefati impreſſores receperunt per manus Domini Ioannis, Abbatis huius Eccleſiae.

De CONRADO HENLIFIO, qui tunc Moguntiae in officina PETRI SCHOEFFERI libros impreſſit, nihil amplius nobis conſtat; IOHANNES uero FAVSTVS uidetur is ipſe, quem iam inter annos 1466 et 1467 mortuum fuiſſe diximus; cuius ſoceri ſui anniuerſarium ſimul tunc pro epiſtolis Hieronymi a fratribus S. Victoris ſibi pactus eſt PETRVS SCHOEFFER. Alioquin operis huius exemplar extitit in

Bibliotheca Vffenbachiana, *pag.* 13, *App.* I *Tomi* II; et aliud asseruatur Moguntiae, in *Bibliotheca cathedrali.* Vide Dom. de GVDENVS *Syllogen* I, *pag.* 404.

XX. A. 1470. MAMMOTRACTVS (seu melius *Mammotreptus*, i. e. *dictionarium uocabulorum*, quae in Bibliis, et hymnis, ac Legendis Sanctorum, occurrunt.)

Subscriptio:

Mametractus arte imprimendi, seu caracterizandi absque calami exaracione sic effigiatus, et ad eusebiam Dei industrie per Petrum Schoeffer de gernssbem in ciuitate Maguntina feliciter consumatus, in vigilia Martini, anno dnicae incarnationis M. CCCC. LXX.

Extat exemplar in Bibliotheca *Carthusiae Herbipolensis*; extitit et in *Bibliotheca Vffenbachiana*, l. c. *pag.* 14.

* XXI. A. 1471. VALERII MAXIMI, *Romane urbis iuris peritissimi, liber factorum et dictorum memorabilium, ad Tiberium Caesarem.* Folio ordinario.

Subscriptio:

Presens Valerii Maximi opus pclarissimu! in nobili urbe Mogutina Rheni, terminatum! anno M. CCCC. LXXI. XVIII *Kaledis iulijs! per egregium Petrum Schoyffer de Gernsshem artis impressorie mgrm! feliciter est consumatum.* Adduntur *Fausti et Schoefferi* insignia.

In hoc libro, inter distinctionis signa, iam, praeter simplex *punctum*, apparent *commata*, *signa exclamandi*, loco *colorum* et *semicolorum*; item et *signa interrogandi.*

XXII. A. 1471. CONSTITVTIONES CLEMENTINAE, *una cum apparatu* IOH. ANDREAE. Forma maxima.

Sub-

Subſcriptio:

Praeſens Clementis Quinti opus Conſtitutionum clariſſimum Alma in urbe Maguntina inclite nacionis Germanice quam dei clementia tam alti ingenij lumine donoque gratuito ceteris terrarum nacionibus preferre illuſtrareque dignata eſt, artificioſa quadam adinuentione imprimendi ſeu caracterizandi absque ulla calami exaratione ſic effigiatum et ad euſebiam dei induſtrie eſt conſummatum, per Petrum Schoiffer de Gernſhem An. dominice incarnacionis M. CCCC. LXXI. *tredecima die menſis Aug.*

Exemplar chartaceum fuit in *Bibliotheca Vffenbachiana*, l. c. *pag.* 16; exemplar membranaceum annotauit IOH. SAVBERTVS, in *Appendice de typographia, pag.* 118.

XXIII. A. 1471. S. THOMAE DE AQVINO PRIMA SECVNDAE PARTIS SVMMAE THEOLOGICAE. *in Fol.*

Preclarum hoc opus Prime ſecunde S. Thome de Aquino, alma in urbe Moguntina inclite nationis Germanice. quam dei clementia tam alti ingenii lumine donoque gratuito ceteris terrarum nationibus preferre illuſtrareque dignata eſt, artificioſa quadam adinuentione imprimendi ſeu caracterizandi absque calami exaracione ſic effigiatum. et ad euſebiam dei induſtrie eſt conſummatum per Petrum Schoiffer de Gernshem, anno Dni M CCCC LXXI, *octaua die Nouembris. Sit laus Deo.*

Huius libri exemplar habetur Moguntiae in *Bibliotheca cathedrali*. Vide Dom. de GVDENVS *Syllogen* I, *pag.* 406.

* XXIIII. A. 1472. DECRETVM GRATIANI, ſeu *concordia diſcordantium canonum*. Folio maximo.

 An-

Anno incarnationis dñice. M. CCCC. LXXII. *Idibus augustiis. Sanctissimo in Xp̄o patre ac Dno Dno Sixto papa quarto pontifice maximo. Illustrissimo, nobilissime domus austrie Friderico, Romanorum rege gloriosissimo! rerum dominis. Nobili nec non generoso Adolpho de Nassau archiepiscopatum gerente maguntinensem. in nobili urbe Moguncia quae nostros apud maiores aurea dicta! quam diuina eciam clementia dono gratuito prae ceteris terrarum nationibus arte impressoria dignata est illustrare! hoc presens Gratiani decretum suis cum rubricis! non atramentali penna cannave! sed arte quadam ingeniosa imprimendi! cunctipotente adspiranti deo Petrus Schoiffer de Gernsheym suis consignando scutis! feliciter consummauit.*

His rubris characteribus subiiciuntur FAVSTI et SCHOEFFERI insignia aeque rubra. Nostrum exemplar est chartaceum; quod Moguntiae in *Bibliotheca cathedrali* asseruatur, est membranaceum. STEPH. BALVZIVS, in *Praef. ad Anton. Augustinum de emendatione Gratiani*, §. 26: *Operae pretium est*, inquit, *hic referre admonitionem eorum, qui primi post typographicam artem inuentam emiserunt in lucem istud Gratiani opus. Volumen est magnae molis, tum rarissimum; utpote cuius unicum exemplar hactenus uiderim; quod mecum pro amicitia nostra communicauit uir mihi saepe laudatus, Lucas Dacherius, monachus Benedictinus.* etc.

* A. 1472. BIBLIA LATINA. 2. Volum. in *fol.*

Presens hoc opus preclarissimum alma in urbe Moguntina inclite nationis Germanice. quam dei clementia tam alti ingenii lumine donoque gratuito ceteris terrarum nationibus praeferre illustrareque di-

gna-

gnata est, artificiosa quadam adinuentione imprimendi seu caracterizandi absque ulla calami exaratione sic effigiatum. et ad eusebiam dei industrie consummatum per Petrum Schoiffer de Gernssheim, anno dominice incarnationis millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo. in vigilia Matthiae Apostoli.

Horum Bibliorum exemplar asseruatur Vratislauiae, in Bibliotheca Elisabethana, annotante *Kranzio*, in *memorabilibus istius Bibliothecae*, *pag.* 74. In ea subscriptione, quam recenset *Iacob. Longius*, in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 577, omissa sunt haec uerba: (*quam Dei clementia — — dignata est.*) Haec uero editio exacte refert editionem anni 1462, ita, ut iidem typi utrobique conspiciantur, et folium folio, pagina paginae, columna columnae, uersus uersui, uox uoci, et litera literae, si perpauca scribendi compendia excipias, respondeant. Mihi sola prima pars horum Bibliorum obtigit, quae quondam fuit *Monasterii S. Iohannis baptista in monte extra muros Magdeburgi*, et tanquam spolium militare a laniatore *Schebelio*, tunc in occupatione Magdeburgensi peruenit ad *M. Iohannem Benikerum*, et ab hoc ad *M. Ioh. Olearium*.

XXVI. A. 1472. IOH. BALDI DE IANVA CATHOLICON, in *Fol.* Huius libri hanc subscriptionem affert IACOBVS MENTELIVS, de *uera typographiae origine*, *pag.* 91.

Praesens hoc Opus praeclarissimum, alma in urbe Moguntina inclytae Nationis Germanicae, quam Dei clementia tam alto ingenii lumine donoque gratuito ceteris terrarum nationibus praeferre illustrareque dignata est, artificiosa quadam adinuentione imprimendi ac caracterizandi, absque ulla calami exaratione sic effigiatum et ad eusebiam dei est industrie

ſtrie conſummatum, per Petrum Schoeffer de Gernsheim, Anno Dominicae incarnationis M. CCCC. LXXII. in Vigilio Matthiae Apoſtoli.

XXVII. A. 1472. INSTITVTIONES IVSTINIANI, in *Fol.* Subſcriptio:

Praeclarum opus alma in urbe Maguntina inclytae nationis Germanicae, quam Dei clementia tam alti ingenii lumine donoque gratuito ceteris terrarum nationibus praeferre illuſtrareque dignata eſt, non atramento communi, non plumali canna neque aerea, ſed artificioſa quadam adinuentione imprimendi ſeu caracterizandi ſic effigiatum et ad euſebiam dei induſtrie eſt conſummatum per Petrum Schoiffer de Gernshem, anno Dominicae incarnationis Milleſimo CCCC. LXXII. XXIX. die menſis Octobris.

Hanc editionem *Inſtitutionum Iuris* hucuſque a ſolo Cl. MAITTAIRIO, *Annal. Typograph. I, pag.* 318, annotatam animaduertimus, qui obſeruauit, ſub finem huius libri eosdem repeti uerſus: *Scema tabernacli*, etc. qui in editione A. 1468 leguntur.

* XXVIII. A. 1473. LIBER SEXTVS DECRETALIVM DNI. BONIFACII PAPAE VIII, *folio maiore.*

Sexti Decretaliū opus praeclarū in nobili vrbe Magūcia! quam imprimendi arte ingenioſa gratuitoq; dono, glorioſus Deus plus ceteris terrarum nationibus praeferre illuſtrareque dignatus! nō atramento et plumali ereaq; penna, cannave, ſed adinuentione quadā perpulcra per venerādū virū Petrum Schoiffer de Gernshem, feliciter eſt conſummatum. Anno Domini M. CCCC. LXXIII. ad nonas aprilias.

His

His uerbis minio impressis etiam miniata subiiciuntur insignia FAVSTI et SCHOEFFERI.

* XXVIIII. A. 1473. AVRELII AVGVSTINI HIPPON. EPISCOPI DOCTORIS EXIMII DE CIVITATE DEI CONTRA PAGANOS LIBRI, *Folio maiore.*

His libris praemittitur sententia beati Augustini episcopi ex libro retractationum ipsius de libris de ciuitate dei.

In fine horum librorum haec uerba rubrica expressa leguntur:

Textus sancti Augustini de ciuitate dei
Maguntie impressus. explicit feliciter.
Anno [Insignia typograph.] *LXXIII.*
Finito libro sit laus et gloria Christo.

sequuntur:

Sacre pagine professorum ordinis predicatorum Thome Valois et Nicolai Triueth in libros beati Augustini de ciuitate dei commentaria.

Haec commentaria minoribus typis sunt excusa, quales in *Durandi rationali*, A. 1459, et in *officiis Ciceronis*, A. 1466, conspicimus. In calce totius operis haec subscriptio minio expressa legitur:

Igitur aurelii Augustini ciuitatis orthodoxe sideris prefulgidi de ciuitate dei opus preclarissimum, binis sacre pagine professoribus eximiis id commentantibus. rubricis tabulaq; discretum precelsa in urbe moguntina partium alemanie. non calami per frasim. caracterum autem apicibus artificiose elementatum. ad laudem trinitatis indiuidue ciuitatis dei praesidis

 ope-

operose est consummatum per Petrum schoiffer de Gernssheim. Anno domini M. CCCC. LXXIII. die V. mensis Septembris. Presidibus ecclesie Catholice Sixto tercio pontifice summo Sedi autem moguntine Adolfo secundo presule magnifico. Tenente autem ac gubernante Christianismi monarchiam Imperatore serenissimo Frederico tercio Cesare semper augusto.

Addita sunt FAVSTI et SCHOEFFERI insignia.

* XXX. A. 1473. NOVA COMPILATIO DECRETALIVM GREGORII IX. *Folio maximo.*

Subscriptio per typos rubros:

Anno incarnationis dnice. M. CCCC. LXXIII. IX. *Kal. decembris Sanctissimo in Xpo patre ac dno, dno Sixto papa* IIII. *pontifice maximo. Illustrissimo, nobilissime domus austrie Friderico! Romanorum rege gloriosissimo! reru dnis! Reuerendissimo in Xpo patre dno Adolpho archipraesule maguntino! in nobili vrbe Maguncia! quae nostros apud maiores aurea dicta, quam diuina etiam clementia dono gratuito prae ceteris terrarum nationibus arte impressoria dignata est illustrare! hoc pns decretale glosa cum ordinaria dni bernhardi, non atramentali penna cannaue sed arte quadam ingeniosa imprimendi, cunctipotente aspiranti deo Petrus schoiffer de gernssheim suis consignando scutis feliciter consummauit.*

His uerbis subiiciuntur consueta FAVSTI et SCHOEFFERI scutula; et in ultima pagina, quasi appendicis loco, sequuntur non pauci uersus, quorum duntaxat argumenta iam subiicere libet; integros uero, cum non nihil

hil luminis affundant historiae typographiae, in *Exercitatione* III, describemus, et explicare annitemur.

I. *Cur Deus ultimis temporibus artis impressorie nouum seculo munus inuexerit.*

II. *Apologia, uel excusatio cleri de ignorantia et carentia librorum.*

III. *Excusationis repulsio, et artis impressorie commendatio.*

IIII. *Exhortatio ad comparandum libros.*

V. *Primorum artis magistrorum* [Iohannis Gutembergii, et Iohannis Fausti] *typus*, [siue praefiguratio,] *et Petri* [Schoefferi] *preconium.* Huic uero quincto titulo subiiciuntur iidem uersus, quos iam A. 1468, et 1472, *Institutionibus iuris* subiectos fuisse, supra, *pag.* 24 et 32, annotauimus.

Ceterum, sicut hoc nostrum exemplar est chartaceum; ita MAITTAIRE, l. c. *pag.* 327, notat, se uidisse in amplissima iuxta ac lectissima *Harleiana Bibliotheca* exemplar horum *Decretalium* illuminatum initiali *Gregorii noni* icuncula, in quo primum uniuscuiusque quaternionis folium pergameno impressum inuoluit reliqua eiusdem quaternionis folia, uulgari chartae impressa; itemque ad operis calcem legi carmina, quorum titulos huc transtulimus; quae tamen ab alio eiusdem editionis exemplari, in pergameno excuso, abesse obseruauerit. Aliud exemplar chartaceum huius libri, quod extitit in *Bibliotheca Kraffitiana*, et cui eadem carmina fuere addita, annotauit v. celeberr. SCHELHORNIVS, *T.* III *Amoenit. literar. pag.* 122; et *T.* IIII, *pag.* 301.

XXXI. A. 1474. HENRICI HARP, ORD. MIN. SPECVLVM AVREVM X PRAECEPTORVM DEI. *Fol.*

Fr. Henrici Harp Speculum aureum decem praeceptorum Dei. opus praeclarum in nobili urbe Moguntia, quam imprimendi arte ingeniosa gratuitoque dono gloriosus Deus plus ceteris terrarum nationibus praeferens illustrare dignatus est, non atramento plumali aereaue penna cannaue, sed adinventione quadam perpulchra per honorabilem uirum Petrum Schoeffer de Gernsheim feliciter est consummatum anno Dominicae incarnationis. M. CCCC. LXXIIII. *mensis Septembr. Id. quarto.*

Huius libri exemplar extare in Bibliotheca Lugdunensi Batauorum, cognoscimus e *Catalogo Bibl. Lugduno-Batau. pag.* 15.

XXXII. A. 1474. IOH. DE TVRRECREMATA EXPOSITIO SVPER PSALTERIO. *Fol.*

Reuerendissimi Cardinalis S. Sixti D. Iohannis de Turrecremata expositio breuis et utilis super toto Psalterio Moguntiae impressa anno Dni M CCCC LXXIIII. *tercio idus Septembris per Petrum Schoyffer de Gernsheim feliciter est consummata.*

Exemplar huius libri extat Moguntiae in *Bibliotheca cathedrali*, teste Dom. de GVDENVS, in *Sylloge* I, *pag.* 414.

* XXXIII. A. 1475. BEATI BERNHARDI ABBATIS CLAREVALL. SERMONES. *Folio maiore.*

Anno natiuitatis Xpi. M. CCCC. LXXV. *decima quarta die mensis aprilis In nobili vrbe Maguncia non atramenti calamo cannave! sed artificiosa quadam adinuentione imprimendi ac caracterizandi. Sermones hos Beati bernardi abbatis clareuallis cunctipotenti annuente deo Petrus schoyffer de gernsheym suis consignando scutis feliciter consummauit.*

His

His adduntur consueta insignia ; et in sequenti folio exhibetur *Index Titulorum Sermonum beati Bernardi abbatis.*

* XXXIIII. A. 1475. CODEX IVSTINIANI REPETITAE PRAELECTIONIS. *Folio maximo.*

Anno natiuitatis Xpi. M. CCCC. LXXV. *ad.* VII. *Kalendas februarias. Sanctissimo in Xpo patre ac dno, dno Sixto papa.* IIII. *Illustrissimo, nobilissime domus austrie Friderico* III. *Romanorum imperatore inuictissimo, semper augusto. Reuerendissimo in Xpo patre ac dno, dno Adolpho archipraesule maguntino. In nobili vrbe Maguncia non atramenti calamo cannave! sed arte impressoria (qua quidem etsi antiquitas diuino non digna est visa iudicio! nostra nichilominus tempestate indulta) Sacratissimi principis Iustiniani Codicem! cunctipotenti fauente deo Petrus schoyffer. de Gernssheym suis consignando scutis feliciter consummauit. Laus Deo.*

Adiiciuntur consueta insignia ; et in sequenti plagula sequuntur *tituli C. secundum librorum ordinem.*

XXXV. A. 1476. IOH. DE TVRRECREMATA EXPOSITIO SVPER PSALMVM. *in Folio.*

Reuerendiss. Cardinal. titul. S. Sixti Domini Ioannis de Turrecremata expositio breuis et utilis super toto Psalterio, per Petrum Schoyffer de Gernsheym. anno Domini. M. CCCC. LXXVI. *decima die Marcii feliciter consummata.*

Vid. MAITTAIRE, *l. c. pag.* 363. Exemplar notatur *in Catalogo Bibliothecae Hohendorffianae, pag.* 8.

* XXXVI. A. 1476. IVSTINIANI INSTITVTIONES IVRIS. *in Folio.*

Anno dñi. M. CCCC. LXXVI. *X Kalendis Iuniis. Sanctissimo in Xpo patre ac dño, dño Sixto papa. IIII. invictissimo dño, dño Friderico III Romanorum Imperatore semper augusto. Generoso dño Diethero de Isenburg electo et confirmato Maguntino. In nobili urbe Maguncia Rheni, impressorie artis inuentrice elimatriceq; prima! pñs Institutionum opus pclarum! Petrus Schoiffer de Gernsshem, suis consignando scutis! omnipotenti fauente deo! feliciter consummauit.*

Adduntur solita insignia. Exemplar huius editionis acceptum refero liberalitati alicuius MAECENATIS, quem nunc tacitus saltem uenerari possum.

XXXVII. A. 1476. SEXTVS DECRETALIVM BONIFACII VIII, *cum* CONSTITVTIONIBVS CLEMENTIS V. *Papae. in Fol.*

Anno dñi M. CCCC. LXXVI. IIII. *Idus septembris. Reuerendissimo in Xpo patre ac dño, dño Diethero Archiepiscopo Maguntino in nobili urbe Maguncia Rheni! impressorie artis inuentrice alumnaque prima! pñs Clementinarum opus praeclarum Petrus Schoyffer de Gernsshem, suis consignando scutis! deo fauente feliciter finiuit.*

Adiiciuntur his insignia consueta. Huius uero libri exemplar extat in Bibliotheca Freibergensi in Misnia; nec dubito, quin et *Sexto decretalium* peculiaris subscriptio adiuncta sit. MAITTAIRE, l. c. seorsum, *pag.* 364, *Clementinas*; et *pag.* 368, *Sextum decretalium*, ad annum 1476, recenset.

A. 1477.

XXXVIII. A. 1477. DECISIONES ROTAE ROMANAE, *Volumina* II. *Folio.*

Anno Domini M. CCCCLXXVII, *pridie nonis Ianuariis graui labore maximisque impensis Romanam post impressionem opus iterum emendatum antiquarum nouarumque Decisionum, suis cum additionibus Dominorum de Rota. In ciuitate Maguntina, impressoriae artis inuentrice elimatriceque prima, Petrus Schoyffer de Gernsheym, suis consignando scutis, arte magistra feliciter finiuit.*

Exemplar huius editionis extat in *Bibliotheca Vltraiectina.* Fuit et quoddam in *Bibliotheca Vffenbachiana, pag.* 24.

* XXXVIIII. A. 1477. AVTHENTICAE, seu NOVELLAE CONSTITVTIONES D. IVSTINIANI, CVM GLOSSIS. *Folio maiore.*

Rubrica prima: *In nomine dn̄i nostri Ih'u Xp̄i de heredibus et falcidia constitutio prima. si heres legata soluere noluerit. Incipit constitutio Imperatoris Iustiniani. a. Iohann. papa secundo.*

In fine: *explicit liber autenticorum.*

Typographus, PETRVS SCHOEFFERVS, annusque impressionis, demum in fine ultimae partis huius uoluminis indicatur. Coniungitur enim hoc opus cum sequentibus duobus, in uno uolumine.

* XXXX. — CONSVETVDINES FEVDORVM, CVM GLOSSA.

Rubrica prima: *Incipiunt consuetudines feudorum. Et primo de his qui feudum dare possunt. Et qualiter acquirantur et retineantur.* Definit hoc opus in *Tit.* LVIII *Libr.* II, *de notis feudorum*; cui adhuc adiicitur

iicitur *Conſtitutio de ſtatutis et conſuetudinibus contra libertatem eccleſie editis.*

Nulla ſubſcriptio typographi in fine harum conſuetudinum deprehenditur; interim hoc opus feudale, in eodem uolumine, inter X *Collationes Authenticas et tres libros poſteriores Codicis* A. 1477 Moguntiae excuſos, collocatum, et iisdem plane typis, paribusque chartis, impreſſum, omnino ad idem tempus, eundemque typographum, referendum eſt.

* XXXXI. — CODICIS IVSTINIANEI LIBRI TRES POSTERIORES, CVM GLOSSIS.

Rubrica prima: *Codicis Dni Iuſtiniani ſacratiſſimi principis perpetui auguſti repetite prelectionis incipit liber decimus.*

In fine:

Anno incarnacionis dñice. M. CCCC. LXXVII. XII *Kalendis ſeptembriis! Sanctiſſimo in Xp̄o patre ac dn̄o, dn̄o Sixto papa.* IIII. *pontifice maximo. Illuſtriſſimo, nobiliſſime domus auſtrie dn̄o, dn̄o Friderico Romanorum Imperatore inuictiſſimo, monarchie Xp̄iane dn̄is. Reuerendiſſimo deoq; amabili in Xp̄o p̄re ac dn̄o, dn̄o Diethero archipſule Maguntino! in ciuitate Maguncia impreſſorie artis inuetrice atq; elimatrice prima. X collacon̄u triumq; librorum Codicū opus egregium, Petrus Schoiffer de Gernſsheim, glorioſo fauente Deo ſuis conſignando ſcutis, feliciter finiuit.*

Subiiciuntur conſueta Fauſti et Schoefferi inſignia.

XXXXII. A. 1478. IOH. DE TVRRECREMATA EXPOSITIO SVPER PSALTERIO. *Folio.*

Reuer-

His uerbis minio impressis etiam miniata subiiciuntur insignia FAVSTI et SCHOEFFERI.

* XXVIIII. A. 1473. AVRELII AVGVSTINI HIPPON. EPISCOPI DOCTORIS EXIMII DE CIVITATE DEI CONTRA PAGANOS LIBRI. *Folio maiore.*

His libris praemittitur sententia beati Augustini episcopi ex libro retractationum ipsius de libris de ciuitate dei.

In fine horum librorum haec uerba rubrica expressa leguntur:

Textus sancti Augustini de ciuitate dei
Maguntie impressus. explicit feliciter.
Anno [Insignia typograph.] *LXXIII.*
Finito libro sit laus et gloria Christo.

sequuntur:

Sacre pagine professorum ordinis predicatorum Thome Valois et Nicolai Triueth in libros beati Augustini de ciuitate dei commentaria.

Haec commentaria minoribus typis sunt excusa, quales in *Durandi rationali*, A. 1459, et in *officiis Ciceronis*, A. 1466, conspicimus. In calce totius operis haec subscriptio minio expressa legitur:

Igitur aurelii Augustini ciuitatis orthodoxe sideris prefulgidi de ciuitate dei opus preclarissimum, binis sacre pagine professoribus eximiis id commentantibus. rubricis tabulaq; discretum precelsa in urbe moguntina partium alemanie. non calami per frasim. caracterum autem apicibus artificiose elementatum. ad laudem trinitatis indiuidue ciuitatis dei praesidis

E *ope-*

operose est consummatum per Petrum schoiffer de Gernssheim. Anno domini M.CCCC.LXXIII. die V. mensis Septembris. Presidibus ecclesie Catholice Sixto tercio pontifice summo Sedi autem moguntine Adolfo secundo presule magnifico. Tenente autem ac gubernante Christianismi monarchiam Imperatore serenissimo Frederico tercio Cesare semper augusto.

Addita sunt FAVSTI et SCHOEFFERI insignia.

* XXX. A. 1473. NOVA COMPILATIO DECRETALIVM GREGORII IX. *Folio maximo.*

Subscriptio per typos rubros:

Anno incarnationis dnice. M. CCCC. LXXIII. IX. *Kal. decembris Sanctissimo in Xpo patre ac dno, dno Sixto papa* III. *pontifice maximo. Illustrissimo, nobilissime domus austrie Friderico! Romanorum rege gloriosissimo! reru dnis! Reuerendissimo in Xpo patre dno Adolpho archipraesule maguntino! in nobili vrbe Maguncia! quae nostros apud maiores aurea dicta, quam diuina etiam clementia dono gratuito prae ceteris terrarum nationibus arte impressoria dignata est illustrare! hoc pns decretale glosa cum ordinaria dni bernhardi, non atramentali penna cannaue sed arte quadam ingeniosa imprimendi, cunctipotente aspiranti deo Petrus schoiffer de gernssheim suis consignando scutis feliciter consummauit.*

His uerbis subiiciuntur consueta FAVSTI et SCHOEFFERI scutula; et in ultima pagina, quasi appendicis loco, sequuntur non pauci uersus, quorum duntaxat argumenta iam subiicere libet; integros uero, cum non nihil

hil luminis affundant historiae typographiae, in *Exercitatione* III, describemus, et explicare annitemur.

I. *Cur Deus ultimis temporibus artis impressorie nouum seculo munus inuexerit.*

II. *Apologia, uel excusatio cleri de ignorantia et carentia librorum.*

III. *Excusationis repulsio, et artis impressorie commendatio.*

IIII. *Exhortatio ad comparandum libros.*

V. *Primorum artis magistrorum* [Iohannis Gutembergii, et Iohannis Fausti] *typus*, [siue praefiguratio,] *et Petri* [Schoefferi] *precomium.* Huic uero quincto titulo subiiciuntur iidem uersus, quos iam A. 1468, et 1472, *Institutionibus iuris* subiectos fuisse, supra, *pag.* 24 et 32, annotauimus.

Ceterum, sicut hoc nostrum exemplar est chartaceum; ita MAITTAIRE, l. c. *pag*, 327, notat, se uidisse in amplissima iuxta ac lectissima *Harleiana Bibliotheca* exemplar horum *Decretalium* illuminatum initiali *Gregorii noni* icuncula, in quo primum uniuscuiusque quaternionis folium pergameno impressum inuoluit reliqua eiusdem quaternionis folia, uulgari chartae impressa; itemque ad operis calcem legi carmina, quorum titulos huc transtulimus; quae tamen ab alio eiusdem editionis exemplari, in pergameno excuso, abesse obseruauerit. Aliud exemplar chartaceum huius libri, quod extitit in *Bibliotheca Kraffiana*, et cui eadem carmina fuere addita, annotauit v. celeberr. SCHELHORNIVS, *T.* III *Amoenit. literar. pag.* 122; et *T.* IIII, *pag.* 301.

XXXI. A. 1474. HENRICI HARP, ORD. MIN. SPECVLVM AVREVM X PRAECEPTORVM DEI. *Fol.*

Fr. Henrici Harp Speculum aureum decem praeceptorum Dei. opus praeclarum in nobili urbe Moguntia, quam imprimendi arte ingeniosa gratuitoque dono gloriosus Deus plus ceteris terrarum nationibus praeferens illustrare dignatus est, non atramento plumali aereaue penna cannaue, sed adinventione quadam perpulchra per honorabilem uirum Petrum Schoeffer de Gernsheim feliciter est consummatum anno Dominicae incarnationis. M. CCCC. LXXIIII. *mensis Septembr. Id. quarto.*

Huius libri exemplar extare in Bibliotheca Lugdunensi Batauorum, cognoscimus e *Catalogo Bibl. Lugduno-Batau. pag.* 15.

XXXII. A. 1474. IOH. DE TVRRECREMATA EXPOSITIO SVPER PSALTERIO. *Fol.*

Reuerendissimi Cardinalis S. Sixti D. Iohannis de Turrecremata expositio breuis et utilis super toto Psalterio Moguntiae impressa anno Dni M CCCC LXXIIII. *tercio idus Septembris per Petrum Schoyffer de Gernsheim feliciter est consummata.*

Exemplar huius libri extat Moguntiae in *Bibliotheca cathedrali*, teste Dom. de GVDENVS, in *Sylloge* I, *pag.* 414.

* XXXIII. A. 1475. BEATI BERNHARDI ABBATIS CLAREVALL. SERMONES. *Folio maiore.*

Anno natiuitatis Xpi. M. CCCC. LXXV. *decima quarta die mensis aprilis In nobili vrbe Maguncia non atramenti calamo cannave! sed artificiosa quadam adinuentione imprimendi ac caracterizandi. Sermones hos Beati bernardi abbatis clareuallis cunctipotenti annuente deo Petrus schoyffer de gernssheym suis consignando scutis feliciter consummauit.*

His

His adduntur consueta insignia; et in sequenti folio exhibetur *Index Titulorum Sermonum beati Bernardi abbatis.*

* XXXIIII. A. 1475. CODEX IVSTINIANI REPETITAE PRAELECTIONIS. *Folio maximo.*

Anno natiuitatis Xpi. M. CCCC. LXXV. *ad.* VII. *Kalendas februarias. Sanctissimo in Xpo patre ac dno, dno Sixto papa.* IIII. *Illustrissimo, nobilissime domus austrie Friderico* III. *Romanorum imperatore inuictissimo, semper augusto. Reuerendissimo in Xpo patre ac dno, dno Adolpho archipraesule maguntino. In nobili vrbe Maguncia non atramenti calamo cannave! sed arte impressoria (qua quidem etsi antiquitas diuino non digna est visa iudicio! nostra nichilominus tempestate indulta) Sacratissimi principis Iustiniani Codicem! cunctipotenti fauente deo Petrus schoyffer de Gernsheym suis consignando scutis feliciter consummauit. Laus Deo.*

Adiiciuntur consueta insignia; et in sequenti plagula sequuntur *tituli C. secundum librorum ordinem.*

XXXV. A. 1476. IOH. DE TVRRECREMATA EXPOSITIO SVPER PSALMVM. *in Folio.*

Reuerendiss. Cardinal. titul. S. Sixti Domini Ioannis de Turrecremata expositio breuis et utilis super toto Psalterio, per Petrum Schoyffer de Gernsheym. anno Domini M. CCCC. LXXVI. *decima die Marcii feliciter consummata.*

Vid. MAITTAIRE, *l. c. pag.* 363. Exemplar notatur *in Catalogo Bibliothecae Hohendorffianae, pag.* 8.

* XXXVI. A. 1476. IVSTINIANI INSTITVTIONES IVRIS. *in Folio.*

Anno dn̄i. M. CCCC. LXXVI. *X Kalendis Iuniis. Sanctissimo in Xp̄o patre ac dn̄o, dn̄o Sixto papa. IIII. invictissimo dn̄o, dn̄o Friderico III Romanorum Imperatore semper augusto. Generoso dn̄o Diethero de Isenburg electo et confirmato Maguntino. In nobili urbe Maguncia Rheni, impressorie artis inuentrice elimatriceq; prima! pn̄s Institutionum opus p̄clarum! Petrus Schoiffer de Gernsshem, suis consignando scutis! omnipotenti fauente deo! feliciter consummauit.*

Adduntur solita insignia. Exemplar huius editionis acceptum refero liberalitati alicuius MAECENATIS, quem nunc tacitus saltem uenerari possum.

XXXVII. A. 1476. SEXTVS DECRETALIVM BONIFACII VIII, *cum* CONSTITVTIONIBVS CLEMENTIS V. *Papae.in Fol.*

Anno dn̄i M. CCCC. LXXVI. IIII. *Idus septembris. Reuerendissimo in Xp̄o patre ac dn̄o, dn̄o Diethero Archiepiscopo Maguntino in nobili urbe Maguncia Rheni! impressorie artis inuentrice alumnaque prima! pn̄s Clementinarum opus praeclarum Petrus Schoyffer de Gernsshem, suis consignando scutis! deo fauente feliciter finiuit.*

Adiiciuntur his insignia consueta. Huius uero libri exemplar extat in Bibliotheca Freibergensi in Misnia; nec dubito, quin et *Sexto decretalium* peculiaris subscriptio adiuncta sit. MAITTAIRE, l. c. seorsum, *pag.* 364, *Clementinas;* et *pag.* 368, *Sextum decretalium*, ad annum 1476, recenset.

A. 1477.

XXXVIII. A. 1477. DECISIONES ROTAE ROMANAE, *Volumina* II. *Folio.*

Anno Domini M. CCCCLXXVII, *pridie nonis Ianuariis graui labore maximisque impensis Romanam post impressionem opus iterum emendatum antiquarum nouarumque Decisionum, suis cum additionibus Dominorum de Rota. In ciuitate Maguntina, impressoriae artis inuentrice elimatriceque prima, Petrus Schoyffer de Gernsheym, suis consignando scutis, arte magistra feliciter finiuit.*

Exemplar huius editionis extat in *Bibliotheca Vltraiectina.* Fuit et quoddam in *Bibliotheca Vffenbachiana, pag.* 24.

* XXXVIIII. A. 1477. AVTHENTICAE, seu NOVELLAE CONSTITVTIONES D. IVSTINIANI, CVM GLOSSIS. *Folio maiore.*

Rubrica prima: *In nomine dn̄i nostri Ih'u* Xp̄i *de heredibus et falcidia constitutio prima. si heres legata soluere noluerit. Incipit constitutio Imperatoris Iustiniani. a. Iohann. papa secundo.*

In fine: *explicit liber autenticorum.*

Typographus, PETRVS SCHOEFFERVS, annusque impressionis, demum in fine ultimae partis huius uoluminis indicatur. Coniungitur enim hoc opus cum sequentibus duobus, in uno uolumine.

* XXXX. — CONSVETVDINES FEVDORVM, CVM GLOSSA.

Rubrica prima: *Incipiunt consuetudines feudorum. Et primo de his qui feudum dare possunt. Et qualiter acquirantur et retineantur.* Definit hoc opus in *Tit.* LVIII *Libr.* II, *de notis feudorum;* cui adhuc adiicitur

modum, primum, (si nunc praetermittamus GVTEMBERGIVM,) IOH. FAVSTVS et PETRVS SCHOEFFERVS *de Gernsheim*, Clericus, deinde et alter PETRVS SCHOEFFERVS *de Gernsheim*, istis primis typographiae temporibus, palam, atque in luce totius orbis christiani et literati, praerogatiuam inuentae typographiae, *Moguntiae*, ac per consequens primis typographis Moguntinis, adscripserint, asseruerintque, et hanc assertionem maxime SCHOEFFERVS toties, ac tot in libris, confidentissime repetierit: quis, quaeso, credat, homines istos tam audaces, tamque impudentes, fuisse, ut aliquid publice professi fuerint, quod falsum, fictumque, et omni ueritate fuisset destitutum? Imo, quis credat, neminem istis temporibus extitisse, si quidem alius praerogatiuae, aut certioris ueritatis, sibi fuisset conscius, qui non suum sibi ius aperte uindicasset, ac tam uanae gloriationi Moguntinorum intercessisset, aut semel duntaxat publice reclamasset? Hinc bene KRANZIVS, in *memorabilibus Biblioth. publ. VVratislau. pag.* 74, de huiusmodi ueterum librorum subscriptionibus, et testimoniis PETRI SCHOEFFERI: *Haec*, inquit, *quamuis domestica dici possint testimonia; uix tamen credibile est, ausum fuisse Petrum Schoefferum, in re adeo recente, et in omnium oculis uersante, ambitiose mentiri; nec hoc aliis quiescentibus impune fecisset.* Certe nullum simile exemplum reperitur, ubi alius quis, illis ipsis temporibus, praerogatiuam et laudem inuentionis typographiae sibi tot publicis documentis uindicasset. Equidem accusatur ab auctore ueteris *Chronici Coloniensis*, aliisque, OMNIBONVS LEONICENVS, quod NICOLAO IENSONI, Gallico, inuentionem typographiae adscripserit. Haec enim narrat auctor ille *Chronici Coloniensis*, A. 1499 impressi, *pag.* CCCXII: *Item eynre, genant Omnebonum, der schrijfft in eynre vurrede up*

dat boich Quintilianus genoempt, und ouch in anderen meir boicher, dat eyn Wale uyſſ Vranckrijch, genant Nicolaus Genſon, haue alre eyrſt deſe meyſterliche Kunſt vonden. mer dat is offenbairlich gelogen, vvant ſij ſyn noch im leuen, die dat gezuigen, dat men boicher druckte tzo Venedige, ee der vurſs Nicolaus Genſon dar quame, dair he began ſchrifft zo ſchnijden und bereyden, Et certe in promtu habemus *Quinctiliani inſtitutiones oratorias,* easque nitidiſſime excuſas, in quarum fine haec uerba legimus: QVINTILIANVM ELOQVENTIAE FONTEM AB ERVDITISSIMO OMNIBONO LEONICENO EMENDATVM. M. NICOLAVS IENSON GALLICVS VIVENTIBVS POSTERISQVE MIRO IMPRESSIT ARTIFICIO. ANNIS. M. CCCC LXXI. MENSE MAII. DIE XXI. In huius operis praefatione *Omnibonus*, inter alia, haec ſcripſit: *Accedebant iuſtae preces magiſtri Nicolai Ienſon, Gallici, alterius (ut uere dicam) Daedali: qui librariae artis mirabilis inuentor: non ut ſcribantur calamo libri: ſed ueluti gemma imprimantur, ac prope ſigillo, primus omnium ingenioſe demonſtrauit.* Sed reſpondemus, in his non ipſum *Nicolaum Ienſonem* auſum eſſe, ſe profiteri primum inuentorem typographiae, ſed *Omnibonum* in eius laude nimium fuiſſe uideri. Deinde animaduertimus, *Ienſonem* ab *Omnibono* non ſimpliciter laudari tanquam inuentorem typographiae, ſed tanquam inuentorem *artis mirabilis*, maximeque expolitae, ut libri *ueluti gemma imprimantur, ac prope ſigillo.* Ac ſane nullum librum ante id tempus nitidius elegantiusque impreſſum uidimus. Atque in hanc ſententiam etiam POLYDORVS VERGILIVS, de *inuentoribus rerum*, *Libr.* II, *cap.* 7, iſta *Omniboni* uerba intellexiſſe, et interpretatus eſſe, uidetur. *Decimo ſexto deinde anno,* inquit, *qui fuit ſalutis humanae* M CCCC LVIII, *quidam nomine* CONRADVS [de Schueynheim] *homo Germanus, imprimendarum literarum artem Romam*

mam primo in Italiam attulit ; quam dein NICOLAVS IENSON, *Gallus, primus mirum in modum illustrauit.* IOHANNES uero DE SPIRA primum Venetorum typographum se professus est, cum *Epistolis Ciceronis ad Familiares*, A. 1469 Venetiis a se impressis, hos uersiculos subiecerit :

Primus in Adriaca Formis impressit aenis
Vrbe libros Spira genitus de stirpe Iohannes.
In reliquis sit quanta , uides, spes , Lector habenda:
Quum labor hic primus calami superauerit artem.

OBSERVAT. VII. Primarii typographi Moguntini numerantur tres ; IOHANNES GVTEMBERGIVS , IOHANNES FAVSTVS , et PETRVS SCHOEFFER *de Gernsheim*, *Clericus dioecesеos Moguntinae.* Ita bene cecinit IO. ARNOLDVS BERGELLANVS, in *Encomio Calcographiae* , *uersu* 143, seqq.

Imparibus numeris coelestia Numina gaudent ;
Hoc opus exegit sic quoque sancta Trias.
Illo primus erat tunc GVTEMBERGVS *in albo* ;
Alter erat FAVSTVS ; *tertius* OPILIO.

De GVTEMBERGII et FAVSTI meritis in rem typographicam, in *Exercitatione* I, *obseruat.* V *ad Instrumentum publicum, pag.* 18, non nihil diximus. Quid PETRVS SCHOEFFERVS, siue OPILIO, Clericus, praestitisse uideatur, in posterum disquiremus. Hic uero PETRVS *de Gernsheim*, Clericus dioecеseos Moguntinae , in *Helmaspergeri Instrumento* numeratur inter *testes* ; deinde uero, post dissidium primorum typographorum, is potissimum IOHANNI FAVSTO adhaesit , inque eius officina aliquot libros , quos supra recensuimus, typis impressit, et suo, *Faustique*, nomine, ac partim *insignibus*, signauit : u. g. *Psalterium* , A.1457 ; *Psalterium* aliud, et *Durandi Rationale*, A. 1459 ; *Constitutiones Clementinas*, A. 1460 ; *Biblia Latina*, A. 1462 ;

At deinde, A. 1465 et 1466, in *Officiis Ciceronis*, ex officina IOHANNIS FAVSTI proditis, coepit alius PETRVS SCHOEFFER *de Gernsheim* designari, qui nusquam dicitur *Clericus*; sed quem IOH. FAVSTVS appellat *puerum suum*, et cui idem filiam suam dicitur nuptum locasse. Quem adeo, necesse est, a priore PETRO SCHOEFFERO, Clerico, distinctum fuisse; siue hic illius prioris patruelis, siue generatim agnatus, fuerit: quamuis neminem adhuc, in exponenda typographiae origine, discrimen inter hos cognomines SCHOEFFEROS animaduertisse, deprehenderimus. *Gernshemium*, a quo, ceu patria, uterque cognominatus est PETRVS SCHOEFFERVS, Clericus, et Laicus, subest ditioni Electoris Moguntini, et paucis milliaribus iacet supra Moguntiam ad littora Rheni. *VVernherus*, Archiepiscopus Moguntinus, in literis ad *Officiatum, Scabinos, et uniuersitatem de* GERNSHEIM, A. 1280 datis, hoc opidum uocat *uillam suam, Gernsheim*; inter *Iohannis Scriptores rerum Moguntiac.* T. II, *pag.* 540. Atque idem *Iohannis*, T. I, *pag.* 828, narrat, hoc ipsum opidum, *Gernsheim*, quod *Adolphus* II, Archiepiscopus Moguntinus, *Philippo*, Comiti Catimelibocensi, pro XLM *florenorum* opposuerat, anno 1520 redemisse. A *Gernshemio* diuersum est *Germershemium*, non procul a Landauia situm, et *Electori Palatino* subiectum. Prior adeo SCHOEFFERVS DE GERNSHEIM, Clericus, intra annum 1462 et 1465, obiit: at posterior, siue iunior, PETRVS SCHOEFFERVS, artem et officinam typographicam, post mortem IOHANNIS FAVSTI, Moguntiae constanter, et minimum usque ad annum 1492, continuauit, atque calci librorum a se excusorum, solus nomen suum; nihilominus tamen plurimis simul libris insignia IOHANNIS FAVSTI et PETRI SCHOEFFERI, Clerici, eaque colore rubro expressa, iamque A. 1457

in

in quodam exemplari *Pfalterii*, atque A. 1462, in *Bibliis Latinis*, ufitata, fubiecit, ita quidem, ut pofthaec non fimilem, fed prorfus eundem infignium typum, eumque fine dubio e ligno fculptum, perpetuo tunc retentum fuiffe, facile appareat. Quorum infignium, quamuis hoc loco colore atro expreflorum, has cognofcimus figuras:



Poft obitum PETRI huius SCHOEFFERI demum, artem typographicam in officina auita, a patre fibi relicta, profecutus eft IOHANNES SCHOEFFER; de quo, hoc loco plura dicere nihil attinet. Sicuti uero modo obferuauimus, priorem IOHANNEM SCHOEFFERVM *de Gernsheim*, Clericum, e uita difceffiffe intra annum 1462, (ubi adhuc uocabulum *Clerici* nomini fuo in fubfcriptione *Bibliorum Latinorum* addidit,) et annum 1465, ubi alter PETRVS SCHOEFFERVS *de Gernsheim*, in calce officiorum Ciceronis, uocatur *puer* IOHANNIS FAVSTI; ita ipfe IOHANNES FAVSTVS, intra annum 1466, quo alteram editionem *Officiorum Ciceronis* adhuc nomine fuo fignauerat, et annum 1467, d. VI Menfis Maii, uiuere defiit; ubi folus PETRVS SCHOEFFER *de Gernsheim*, iunior, libris a fe impreffis nomen fuum addere coepit, excufa tunc *Thomae Aquinatis fecunda fecundae*. IOHANNEM etiam GVTEMBERGIVM circa idem tempus, et paullo ante annum 1468, morti oc-

 cu-

cubuisse, iam supra, in *Exercitatione* I, *pag.* 29, ex literis *Doct. Homery* ostendimus.

VIII. MELCH. ADAMVS, in *uitis Germanorum Philosophorum*, ubi de IOHANNE FAVSTO, et IOHANNE GVTEMBERGIO, *pag.* I, agit: *Constat*, inquit, *ut omnium aliarum rerum, ita et typographicae artis, tenuia initio fuisse exordia, quae progressu temporis magis magisque fuerunt aucta a diversis et exculta. Nam integras paginas inciderunt primum in lignum, deinde chartis commiserunt literas ibidem incisas; deinde literae primum e ligno factae sunt; postea ex orichalco, tandem e stanno.* Et MAITTAIRE, *T. I Annal. typogr. pag.* 32: *Probabile est*, inquit, *artem initio per figuras et literas in tabulis incisas, et immobiles, tentatam; deinde typos mobiles usurpatos, ligneos primum, denique fusiles: atque una tantum pagina imprimi coeptum, donec utramque excudendi ratio intellecta fuerit.* Equidem TRITHEMIVS, *P. II Annalium Hirschaugiensium*, et BERGELLANVS, in *Encomio Calcographiae, u.* 117, *seqq.* aliique, tradidere, GVTEMBERGIVM et FAVSTVM, primum non ex discretis et singularibus typis, inter se iunctis, ut hodie fit, coepisse libros imprimere, sed pagellis ligneis, in quibus literas extantes ac prominentes caelarint, ita, ut singulas paginas singulis tabulis ligneis expresserint. Ac, sicut TRITHEMIVS narrat, hoc modo ab iis impressum fuisse uocabularium, *Catholicon* nuncupatum; ita SALMVTHVS, in *Commen. ad Pancirolli L. II rerum memorabilium*, refert, IOHANNEM FAVSTVM initio non solum *Tabulam Abecedariam*, sed et *Donatum*, huius modi tabulis ligneis excudisse. Sed nobis eam ipsam narrationem, neque affirmare, neque refellere, in animo est; cum eius rei nullum certum indicium in nostris documentis deprehendamus, cumque nobis nondum contigerit, huius generis librum, primorum typographorum

rum Moguntiae nominibus, aliisque signis, insignitum, uidere. Interim haud negamus, et ante, et aliquandiu post inuentam typographiam, uarios libellos huiusmodi tabulis ligneis impressos passim superesse; quorum quaedam exempla, sed sine notatione temporis, aut alicuius artificis, ipsi possidemus. Id autem minus dubium est, quin primi typographi Moguntini primum singularum, aut saepe binarum, literarum typos, ex ligno sculptos, eosque mobiles, ad librorum imprimendorum usum confecerint; qui typi fuere connexiles, ut filum, per foramina singulorum inductum, uersum unum connecteret; pluribus autem uersibus deinceps serie coniunctis, pagina expleretur, uti ait THEOD. BIBLIANDER, *Commentar. de ratione communi omnium linguarum*, *pag.* 81: quamuis BERGELLANVS, in describenda prima typographia, huiusmodi typorum ligneorum nullam iniecerit mentionem. Ad huius generis libros referimus *Biblia Latina*, sed sine nota temporis et typographorum; item *Psalteria*, adiecto indicio A. 1457, et A. 1459, subnotatisque nominibus IOHANNIS FAVSTI, et PETRI SCHOEFFERI *de Gernsheim*, Clerici, maioribus typis, qui hodie dicuntur *Canon Fractur*, impressa; nec minus alia *Biblia Latina*, quae quidem non eiusdem magnitudinis, satis tamen pinguibus et sibi inuicem inaequalibus typis, sunt excusa. Tandem uero, uelut ad complementum et perfectionem artis typographicae, excogitati fuere typi, e certis metallis, inter se permistis, fusi, quibus adhuc hodie utimur. Cum uero non desint indicia, supra memorata, e quibus appareat, iam GVTEMBERGIVM quoque huiusmodi typis fusis usum esse; cumque certo constet, etiam ex officina IO. FAVSTI, et PETRI SCHOEFFERI *de Gernsheim*, Clerici, A. 1459 *Durandi rationale officiorum diuinorum*;

rum; A. 1460, *Conſtitutiones Clementinas*, et IO. BALDI *de Ianua Catholicon;* atque A. 1462, *Biblia Latina* et *Germanica*, alioſue libros, typis fuſis fuiſſe excuſos; fieri ſane potuit, ut haec ars aut iam ex communi primorum Moguntiae typographorum conſilio, aut, quae non paucorum ſcriptorum traditio eſt, potiſſimum ex inuentione PETRI SCHOEFFERI *de Gernsheim*, Clerici quidem, ad exoptatum faſtigium fuerit euecta. Sed de inuentione fuſilium typorum alibi plura afferre conabimur.

NON EGO TE LAVDO; TVA TE SOLERTIA LAVDAT,
SCHAVBERTE, ATQVE TIBI PRAEMIA DIGNA FERET.

Pereximio et doctrina uirtutisque laude maximopere commendando
Dom. IO. GVIL. SCHAVBERTO,
gratulationis ergo
dabat
C. G. SCHVVARZIVS, P. P.

EXPLICIT. PARS II ILLVSTRATORVM DOCVMENTORVM PRIMARIORVM DE ORIGINE TYPOGRAPHIAE.
